MED. foll
197

30 - 2 - C - N 12
MED Holl. 197
Picquifen
Digitized by Google

49-8-13-18

Digitized by Google

4545.
5.9a

Digitized by Google

49-8-13-18

TRACTATVLVS CHEMICVS,

THEOSOPHIAE PALMARIVM

dictus,

Anonymi cuiuſdam Philoſophi antiqui

A

NICOLAO BARNAVDO Medico à Criſtâ Arnaudi Delphinate Gallo nunc primùm editus, &

AVRIGA

Ad quadrigam auriferam, quam ſuperiore anno emi-ſit, ducendam factus; quemq; brevi (Deo dante) generoſi equi, de eadem ſacrâ philoſo-phiâ tractantes, ſequentur.

NIHIL SINE NVMINE.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ Thomæ Baſſon, Anno 1601.

Digitized by Google

Conſtat Deum imperare terris omnibus,
Quas eminentes ex aquis
Cum cæteris, quæ continentur in ſolo,
Fecit, prius quæ non erant.
Potens ubi creare mortales, eo
Dignatus eſt, uti piè
Hîc ævum agentes ad patris ſummi domos,
Sedeſq; migrarent poli.
Quis ergo conſequetur hæc? quis in gradu
Altiſſimo hoc locabitur?
Aulas quis æternas, ſacramq; regiam
Summi Dei intuebitur?
Is, cuius haud ſunt facta, cogitatáve
Ullo inquinata crimine;
Nec peierat, nec res eas contemnere
Lætatur, iſte gratia
Quarum eſt animus almo à Deo nobis datus.
Is nempe, qui inſtituit ita
Vitam ſuam, à Deûm parente præmijs
Perennibus donabitur:
Fœlicitatemq; aſſequetur, & bona
Cæleſtium immortalia;
Quoniam Dei ſtudioſus eſt;

Digitized by Google

Nobili Viro

D. IOANNI BARNAVDO Conſiliario Regio Viceſeneſcallo Valentinenſis & Dienſis, Patrueli æternùm colendo,

NICOLAVS BARNAVDVS Medicus à Criſtâ Arnaudi Delphinas Gallus.

S. P. D.

CVM litteris ad me tuis certior factus fuerim, Clariſſime Domine Patruelle, haud parùm tibi placuiſſe Quadrigam auriferam quam ſuperiore anno in lucem emiſi, cuiuſq; rotam quartam & ultimam tibi dicavi, facta mihi fuit ſpes Aurigam, quem ad ipſam ducendam pollicitus ſum, te lubenter viſurum. Itaque etſi non me lateat te totum iuridicendo deditum,

regia & publica officia dies, noctesq́;cogitare, promovere & ad cataſtrophem unumquodq́; ſuum, pro munere quo fungeris, producere conari, non potui, quin Aurigam ipſum teſtibus omni exceptione maioribus ſtipatum, ad te mitterē. Accipe igitur ipſum Nobiliſſime Vir, qua ſoles conſobrina fronte, & hunc tibi uni dicatum, & toto animo conſecratum à me cogita, Non equidē ut te vel latum unguem ab onere iſto Regio quo fungeris abducere coner; ſed ut, ſi quæ tibi remanſerit hora libera, hanc naturæ huius, circa quam verſatur hæc Philoſophiæ pars ſpeculationi tradas: Ita ut, ſi interea bonus quiſpiam genius chemicus (fugiunt à te, vel ſolo audito nomine, cæteri falſi omnes, quorum & flagellum diceris) te invaſerit; ſi inquàm decies iterata lectione iſtius aurigæ, & equorum, quos brevi dimittam, ſi Deus voluerit, in mentem tibi venerit, quid ſacri iſti Philoſophi verbis ſuis obſcuris & imaginibus quibus utuntur depictis ſibi velint, & quam vidit, Marſilius Ficinus virginem nudam, filo pulcherrimo depictam, (ut ipſius verbis utar) ætate viridem,

dem, coma eburnea, oculis fuſcis, albicanti-
bus rubentibus genis, cuius papillæ erant
lacteæ, & admodum teretes atq; tornatæ quę-
que toto corporis candore adeo inſignis, &
omnibus naturæ dotibus adeò venuſtè deco-
rata erat, ut Regio thalamo digniſſima cen-
ſeri poſſet, quàm etiam cuncti philoſophi,
tum priſci, tum neoterici deperient; & cæte-
ræ variæ huius generis imagines, quarum
apud me non parvus eſt numerus, quid de-
ſignent, intelligere aves, & manum operi
adhibere cupis; ſumptibus ut parcas te moni-
tum cogita. Poteſt enim totum hoc philo-
ſophorum arcanum uno & altero aureo
nummo, (ut ipſi aiunt) ſi carbones & vitra
excipias, quorum (re paratâ) unicum (ne
rumpatur) ſufficit, poteſt inquam à ſciente
perfici. Gaſtonem Claveum habes Iurecon-
ſultum, ſubpræſidem Nivernenſem, cuius
Doctor Bernardus Penotus, (quem ex ani-
mo amo, & obſervo) Doctiſſimam in Era-
ſtum apologiam, pro Chryſopæia edidit,
quiq; ante ſex menſes alteram Apologiam
peperit, in alium Dominum doctorem, qui

 de vera

Digitized by Google

de vera Medicina librum inſcripſerat. Vtrumque horum conſule, hij non patientur te aberrare, neq; aſſiduam collocare operam, aut propriæ profeſſionis functiones deſerere, ſed magna & admiranda moliendo, nihil agere putaberis.

At quia ſummus ille Deus, cuius eſt dare & denegare, ſolet iuſto ſuo iudicio, tenebras plerumque offundere ijs, qui mundo dediti cùm norint ſacra hæc ſuis tantum eſſe repoſita, ea ſuſq; deq; abripiunt, cogitantes, hæc ipſa ſibi ipſis potiſſimùm deberi myſteria, quò fit, ut excitati, auri ſacra fame ducti, in foveam quæ ſub tanti Labyrinthi ditione & ambitu latet recondita, cecidiſſe te coacti ſunt tandem fateri miſeri, ut ſapias (ſapis autem in omnibus) Conſobrine Ornatiſſ. horum ſaltem periculo doctus, iterum atque iterum moneo, Deumq; ante omnia convenias ut mundus & purus, ſordidus ſi eſt (parce Seni monenti) fiat tibi animus, & quaſi albior nive, quò poſſis pio gaudio triumphare & lætari: Quod ſi quid interea adyti tibi occurrat (eſt hæc ars, quam unicâ hora

Digitized by Google

hora doceri poſſe. Bonus Ferrarienſis affirmat, ſatis inextricabilis, etſi Nobiliſſimus quidam Vir, quem ante quadraginta annos obſervo, obſervaturus. quandiù vixero aliter ſentire videatur, his ſuis verſibus ad me miſſis, quos ad ſacram ipſius memoriam hîc appingere viſum eſt, tibiq; communicare.

Quid faciat Lapidē, Clarius reſpondit Apollo,
Solvere quod fixum, figere fluxa queat.
Res tam ſublimis ſublimibus influit aſtris,
Quamvis ſurgat humo, pronaq; roret humū.
Cuiq; patet labyrintho aditus, non exitus idem,
His adytis aditus (cætera ludus) obeſt.)

Eſt inquam ob ſcyrpos, nodos, griphos &c. admotos, ſatis intricata, at, ut prædixi, ſi quid ſimile obveniat, hoc à Deo omnium ſcientiarum donatore ut aperiatur poſtula: ad ipſius normam vitam, & omnes conatus tuos, ut par eſt, dirigens, quò poſſis tandem aliquando cum Davide dicere.

Quare beato cœlitum
Rex, autor iſtius rei,
Grates ago ingentes tibi,

Digitized by Google

Agamq́ dum vivam; tuum
Et continenter laudibus
Nomen feram almum ad æthera;
Tuoq́ figam in numine,
Et collocabo ſpem meam,
Quòd ut vocaris, es Pater
Amabilis, præſens, pius.

Vt autem noris, Ornatiſſime Domine Patruelle, ſciantq; tecum pij omnes huius ſacræ philoſophie ſectatores (neq; enim mihi cum aliis quidquam commune; abite hinc peſſimi fures) quo te, quo illos proſequar amore: Primum, an ſit hæc ars, cum extra controverſiam ſit, non ſuſcipiam dicere. Quid ſit, & quale ſit, ex antiquiſſimo codice dicam, (neque enim omnibus datum eſt, ſapientum antiquorum res ex æquo cognoſcere.) Dicam autem ſubiectum philoſophorum, ſive rem quam tractant apparere in prima ſua eſſentia in corpore terrens, ſordido, & infirmitatibus repleto, in quo vim habet ſanandi vulnera & corruptiones in inteſtinis hominum, carnem erigit bonam, diſ-

ſipar

ſipat mortuam, purgatque putredinem & fætorem.

In ſecunda eſſentiâ apparet in corpore aqueo viſui aliquanto ſpecioſior primo, venenum declinat à corde; contenta in pulvere diſſolvit, ſine violentiâ, & ipſum ulceratum non obſtante commotione conſolidat, ſanguinem mundificat, potata ter in die, à quocunq; languente, fit bona ſpes.

In tertia eſſentiâ apparet in corpore aëreo, oleagineo, penè ab omni ægritudine liberato, in quo mira oſtendit opera: nam valet iuvenibus, ut corpore, ſtatu, viribus, & forma permaneant, ſobriè ipſo in cibarijs utentes, ſanguinem, & ſemen auget.

In quarta eſſentiâ apparet in corpore igneo ab omni ægritudine nõ plenè ſancto, aquam continente, non plenè excitatam: Si ſenes utantur hoc igne parva doſi, aqua auri adhibita, corda & corpora iuvenilia poſſidebunt tanquam Elixire vitæ.

In quinta & ultima eſſentiâ apparet in corpore glorificato, æqualiter carente omni vitio, tanquam ſol & luna ſplendido, eius

Digitized by Google

opera naturalia eſtimantur Dei miracula, lampadis lumina, ſi cum ipſo ſpiritu fuerint mixta ardent ſine diminutione, aut extinctione: margaritæ fiunt, ipſo mediante ex criſtallo prætioſiſſimæ, imperfecta metalla in aurum vertit, morbos curat omnes. Sed manum de calamo.

Reſtat nunc, ut proſequar, qua ratione id fiat dicere; quomodo inquam cuius rei gratiâ, placet in Doctiſſimi Patruelis mei & omnium philoſophorum, præcipuè Delphinatum Gallorum, quos, bona cum venia, cæteris præficere mihi viſum eſt, placet inquam, proceſſum unum chemicum mihi chariſſimum, ante aurigæ adventum tanquam prodromonem aliquem fidum, ſincerè nunc communicare; Ea tamen lege (facio, quod ante me, quod ſciam, fecit nullus) ſuadeoq; toto animo, totiſq; viribus, utinam perſuadeam! O Regem! O Regnum, O ſeculum, O me fælicem! ſi quid iſto ſcriptulo, auriga, & equis brevi venturis, decies repetitis, alicui veſtrum lucis acceſſerit, qua poſſit (Dei ſpiritu ductus) optatum aſſequi

ſuum,

Digitized by Google

ſuum, totum id ad Dei gloriam, Et Regis noſtri Chriſtianiſſimi HENRICI Magni obſequium conferre mecum (ut decrevi, & ante aliquot annos, (det modò Deus) conſtitui) ne cunctetur aut pertimeſcat.

Neque enim Diocletianũ aliquem unum in Ægiptios philoſophos & eorum libros ſævientem, ipſoſq́; exurentem, ne divitiæ, hac arte ipſis contingerent (ut a Suida traditur) offendemus, quinimo unicum Chriſtianiſſimum Galliarum & Navarræ Regem Clementiſſimum, quem ſummus ille Deus Opt. Max. toties ſervavit, à tot tantiſq́; periculis eripuit & liberavit, quem digito ſuo in ſolium evexit, qui conſcientias ſubditorum ſuorum omnium, qui Religionem liberrimam fecit, qui nobis hæc otia dedit, qui chæmica noſtra ſtudia & philoſophicos conatus omnes liberrimè progredi, & edicto ſuo Regio tutò prodire in poſterum curabit. Hic, inquam, ſummus noſter Rex, ſi ſemel & iterum hãc veram & catholicam Antiquorum medicinam uſurpaverit, ſi hoc Helenes pharmaco uſus fuerit, ſi hoc tantum Dei

donum

donum guſtaverit, &, (quod conſequens eſt) firma, fixaque & longeva valetudine utens, Dei clementiâ, vellus illud aureum adeptus fuerit, Mirum quàm omnes chemicos philoſophos amplectetur, quàm arti huic divinæ favebit, quot ſubſidijs ſubditos liberabit, quanta Regia & præclariſſima ad Dei gloriam in dies molictur, quantum deniq; toto orbi ſub ipſo (ſcio quid præſagiam) pacis, ſplendoris, &, (quod ſummum eſt) pietatis accedet. Ne igitur ſupino aliquo metu quis ducatur. Protulit olim Arnoldus à Villanova, Theologus, Medicus, & Chemiſta ſummus Romæ cùm eſſet in aula Pontificis Romani, aurum à ſe chemiſticè paratum, paſſuſq; eſt illud omni examini ſubijcij, teſtante id Iureconſulto Ioanne Andrea, in additionibus ad ſpeculum, titulo: de Crimine falſi. Eremita quidam Hieroſolomitanus, Morienus vocatus, natione Romanus, audita Regis Ægiptij Calidij fama (Erat autem hic Rex, ſapiens & prudens Vir, & in omni ſcientia perſpicuus ut Morieni fert hiſtoria) Eremo diſceſſit, & in Ægiptum ſe

contu-

Digitized by Google

contulit, Chriſtianus ſcilicet, ad Regem Gentilem, ad Calidium, huicque ut paucis finiam, lapidem confecit, his verbis circa vas inſcriptis. Omnes qui ſecum habent, alieno auxilio nullatenus indigent. ipſumq; Lapidem parare, Calidium tandem docuit: Quis ergo Gallorum verebitur HENRICO Magno Chriſtianiſſimo Regi noſtro imperante, ſimile donum, qua par eſt obſervantia, offero? Quis (potiſſimum inter philoſophos Delphinates noſtros, ſi id muneris ei contigerit) Regem noſtrum Delphinum, geſtiens, rectà cum ipſo munere non conveniat, eiuſque Maieſtati ſeſe & omnia tradat, Delphinates omnes in æternum omni cenſu liberos edicto Regio redditurus & litem inter Delphinatus ordines, cenſus cauſâ natam, æternum conſopiturus? Sed adeſt proceſſus; hunc legere & religere nè verearis.

PRO-

Digitized by Google

PROCESSVS.

Flat una res, vel ſubſtantia una ex duabus, tamen primo mixta & compoſita tali modo, quod pars minima unius, coniungatur cum minima alterius, ſine ſeparatione in æternum tandem iunctum figatur, & ſolvatur iterum, totieſq; donec inde prodeat Medicina ductilus, fuſilus, denſa, rara, levis, & ponderoſa, quæ ſuper ignem poſita fundatur inſtar metalli ante fugam Mercurij, ipſiſq; & metallis omnibus per minimas partes adhæreat, penetrando tali modo, ac ſi eſſet de propria ipſorum ſubſtantia, quæ nunquam ab ipſis divelli poſſit, poſtquàm unum facta ſunt. Convertet autem hæc omnia quibus cum ſymbolum habet ad propriam naturam, quantò autem fortior præcedet mixtio, eò etiam uberior ſequetur tranſmutatio, quandoquidem hæc, ab illa dependet, eamq; ſequitur, veluti cauſa ſuum effectum. Danda igitur opera ut ea ſequatur,

quod

Digitized by Google

quod vix fiet abſq; ſublimatione, cùm ipſa ſit medium, veluti tranſitus quidam cauſans talem coniunctionem. Sublimatum autem neceſſe eſt ita diu coquere, donec figatur, & in igne perſeveret. Hoc autem non fiet prima vice; ſed oportet fixum iterum ſolvere, iterumq; coquere, donec ei ſufficiat ſuæ fuſionis complementum, ad penetrandum metallum, & ipſum inficiendum, quod in quarta ſolutione, & coagulatione ſolet plerumq; accidere, cuius complementum ſeptenarius eſt numerus.

Capiatur igitur ſublimatus Mercurius phyſicus, eiq; aptetur vas eiuſmodi, ſive vitreum, ſive terreum compactum, quod poßit igni reſiſtere, in quo coquantur duæ, vel tres unciæ conſq; igne continuo, donec Mercurius metallificetur, & vaſi totus adhæreat. Hocq; præſtat reiterare cum novo Mercurio poſtquam prior adhæſerit uſquequo & hic adhæreat, & donec totum in Marteck convertatur. Quod cum factum fuerit, detur ei ignis per quatuor, aut quinque dies, fortior tamē aliquantulum quàm antea; donec totum adhærens deſcendat adfundum vaſis inſtar ſtanni aut plumbi maßa; quod

eſt æs, & plumbum philoſophorum, quo genito nihil aliud eſt quàm opus mulierum, & ludus puerorum. Accipe igitur ipſum, & ſordes pulverulentas eius, ſi quas habet, abÿce, ipſumq́ in reſiduum mercurÿ diſsolve, quinque, in ſex, aut octo, aut decem partibus, illud iterum vaſi apto impone, & coque, ut antea feciſti, exemplumq́ proba num penetret, cum ſufficienti fuſione: ſin autem: reitera ſolutionem, & coctionem eius donec hoc aſſequaris. & habebis, ut dicunt philoſophi, ovum eorum, inq́ eorum ſecretis verſaberis.

Supereſt, Suaviſsime Domine Patruelle, ut toto corde totiq́ viribus Summum illum Deum ſupplices conveniamus, quò ſancto ſpiritu ſuo nos ducat, per Ieſum Chriſtum *Filium eius unigenitum Dominum noſtrum verum Lapidem angularem, noſq́ doceat ſacra hæc myſteria intelligere, & ſi ad ſui gloriam, & ſalutem noſtram facere videbuntur, operari & perficere. is nunquam patietur quemquam aberrare, qui rectà ad ipſum oculos ſurſum erigat. Hæc itaq́, ad ſui gloriam, Eccleſiæ ſubſidium, & Regis noſtri Chriſtianiſsi^m^ obſequium*

(ſi ex

Digitized by Google

(ſi ex animo ſuccedant) ut impendantur, evulgata à me, tibiq́ consanguineitatis ergo dicata, ut credas, etiam, atq́ etiam oro; non autem ut te molliter cures, genioue indulgeas: Etenim Qui eſt, Qui fuit, & futurus eſt Omnipotens, huic debitas pœnas, & optatiſsima perſolvet illi præmia: Quoniam Deus mores piorum diligit: ut turpiter qui vitam agit cruciatibus hunc ſempiternis afficit. Benè, diù, & feliciter vale, urbis noſtræ alterum ornamentum, & familiæ noſtræ decus, viveq́ noſtri, & conſanguineorum noſtrorum perpetuò memor Neſtoreos annos. Goudæ è muſeolo noſtro primâ Ianuarij 1601.

Tui deditiſſimus conſobrinus

NICOLAVS BARNAVDVS.

B PHILO-

Philoſophis Gallis omnibus

NICOLAVS BARNAVDV à Criſtâ Arnaudi Delphinas Gallus Medicus.

S. P. D.

ETSI vos omnes in epiſtola, quâ regum Viceſeneſcalũ D. Barnaudum Patruelemeũ, omni obſervantiâ colendũ, allocutus fuerim, & ea quæ ad divinam hanc philoſophiam facere videbantur, quantum licuit, & in me fuit, paucis dixerim, placet nihilominus hiſce paucioribus denuò vos ſalutare, & in amoris & obſervantiæ ſymbolum perpetuum, vobis Philoſophicum propinare poculum, non ſine numine à me excogitatum, hoc, ut ad Dei gloriam, Chriſti Eccleſiæ ſubſidium, & Chriſtianiſſimi Regis HENRICI *Magni* obſequium, (qua lege vobis hæc omnia trado) philoſophicè parare, haurire, deglutire & in chylum & ſanguinem vertere tandem poſſi-

Digitized by Google

poſſitis, Deum Opt. Max. etiã atq; etiam oro, Benè & feliciter valete, meique memores quàm diutiſſimè vivere. Goudæ è muſeolo noſtro chemico prima die Ianuarij, ann. 1601.

Philoſophicum poculum Nicolai Barnaudi.

a. m. a. r.
i. t. u.
d. i. n.
i. s.
p.
o. c. u.
l. u. m.

Interpretatio litterarum Poculi Philoſophici.

A. amore. m. mulieris. a. ardens. r. ruffus. i. iuvenis. t. transfigitur. u. venas. d. diſrumpit. i. iraſcitur. n. nigreſcit. i. inalbatur. s. ſanguinem. p. poſtremo. o. oſtendit. c. clarum. u. unctuoſum. l. lapidem. u. univerſalem. m. medicinam.

AVRIGA CHEMICVS,

SIVE

THEOSOPHIÆ

PALMARIVM

A Philoſopho antiquo anonymo, in chæmicis verſatiſſimo compoſitum.

LAVS omnipotēti Deo, Theſaurus ſuæ ſapientiæ nobis reſeratus, eiuſq; bonitatis favore hoc opus tam immenſæ molis imbecillitati naturę impartitum, valido animo & roboratis viribus de ſuæ benignitatis largitate confici, hunc librum ad honorem divinæ ſapientiæ intitulamus Theoſophiæ Palmarium, quem componere aggredimur; in quo intendimus veram & rectam expoſitionem facere librorum quorundam ſapientum antiquorum, qui de occulta

occulta Dei ſapientia ſecretorum naturæ perfectionem, veritatis divinæ ſubſidio, & eorum laboribus aſſecuti ſunt: eamq́; prout viſum fuit eis eſſe decens, in ipſis libris poſteris reliquerunt: ſub tali tamen verborum ænigmate, ut nec indignis, vel inſipientibus pateſiat, nec adignis doctrinæ filijs occultetur. In horum autem expoſitione divino moderamine regulari confidimus, & metas licitas non excedemus, & debitas ſecundum convenientiam attingemus. Sed ne ad immenſum noſtri huius operis volumen extendatur, non omnium librorum, quos, qui dictam ſcientiam per diverſos calles aſſecuti ſunt, compoſuerunt, expoſitionem aſſumere intendimus: quamvis & multis ſemitis ad unum intentum poſſit accedi. Sed antiquorum iſtorum ſolum ſcripta exponendo proſequemur, quibus præcipuè ac familiarius à divinæ largifluentiæ manu hæc videtur fuiſſe collata & patefacta ſcientia, quiq́; concordas fuere in opere & compoſitione noſtri elixiris ſeu veneni penetrantis, tingentis & perficientis corpora, quod de noſtra Magneſia,

 noſtraq́;

noſtraque aqua permanente, ac noſtro fermento, ſeu ære noſtro componitur. Quod opus propter ſui bonitatem, & operandi virtutem, & unitatem, ac tincturæ, & alterationis invariabilitatem, ipſi philoſophi ſibi ipſis inter cætera opera ut proprium elegerunt, & ſuas figurationes ſuper eo poſuerunt, & in diverſis ſermonibus de eo locuti ſunt, occulta ſignificatione tamen, in hoc concordes extiterunt. Quorum primi ante diluvium fuerunt Seth, filijq; eius, & Scolici eorum ſectatores. Poſt diluvium verò Hermes triſmegiſtus Philoſophorum caput, deinde Moſes, & Maria ſoror: poſt hos Rex Hercules, Stephanus Aſtanus, Belinus, Salomon, Democritus & Roſinus: Deinde alij, ex quorum dictis compoſitus eſt liber turbæ, ut Pythagoras, Socrates, Plato, Zenon & alij; quorum dicta in ipſo libro turbę deſcripta ſunt: poſtmodum verò plures alij eorum ſequaces fuerunt, qui libros in hac via operis deſcripſerunt: vel de ipſa in aliqua parte ſuorum librorum memorati ſunt, ut Morienus, Rex Calid. Miruendus, Alfidius Alexander, Raſis,

Raſis, Avicenna, Virgilius, Geber & quidam alij, quorum dicta ad perfectam expoſitionem & probationem eorum, quæ in hoc libro narrabimus, prout oportunum fuerit, pro veritatis teſtimonio adducemus. Et nos quidem inanem reſpuentes iactantiam, non negamus quin ſicut & nos, ſic & alij ſani & ſubtilis intellectus, abſq; huius libri ſuffragio per libros prædictorum philoſophorum poſſint perfectionis intentionem percipere atq; attingere. ſi tamen perſeveranter & conſtanter in lectionis reiteratione & experientiarum frequentatione perſtiterint, & eis copia operandi ſuppetat, & hoc à Deo non fuerit eis denegatum: Nam & nos nihil aliud in huius libelli ſerie deſcribimus, niſi quod ab illorum philoſophorum fonte ſapiẽtię emanavit. Itaq; optamus, ut ſcientia per hunc noſtrum laborem, & veritas ſapientiæ antiquorum, quibus appropriatæ ſunt ſcientiæ, virtutes, ab ignorantium & detrahentium telis incorrupta ſervetur, & ejus ſectatores, ſcilicet veriores fiant cũ divino adiutorio: quoniam ſi Deo ingrati non fuerint, & hanc expoſi-

Digitized by Google

tionem quam facimus ratione intellexerint, & perſeverantes in opere fuerint, ad huius veritatis fructum pertingere poterunt. Ordinabimus autem hunc librum per breves propoſitiones in textu, & cuilibet propoſitioni commentum adijciemus ſufficiens, ſenſum philoſophorum prædictorum auctoritatibus roborando, nec non de noſtro munuſculo ſcientiæ adiungentes quæ nobis oportuna videbuntur. Huius verò libri titulum facimus Theoſophiæ Palmarium, eo quò auctoris nomen quodammodo refert, & Dei ſapientiæ nobis exponit Arcanum. Dignum autem putamus noſtrum libellum ordiri hoc contextu; ut primum de noſtro Elixire agamus, vtrum ex uno ſit aut pluribus. Secundo de materia ipſius elixir componentium. Tertio de modo & regimine componendi & perficiendi ipſum. Quarto de utilitate & fructu ipſius tam in metallis, quam in hominibus. Itaque Deo laudes reddentes, & eius auxilium rogantes primam propoſitionem ſubnectemus, quæ talis eſt.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

Elixir Philoſophorum invariabili tinctura corpora tingens, & veriſſimè per omnia perficiens, ex una re ſola conſtare.

HÆC propoſitio prima probata videtur per dicta plurium philoſophorum, præcipuè eorum, qui in libro Turbæ citantur, inter quos Eximenus ſermone nono: Scitote (ait) omnes peritæ mentis, quod nulla ſit tinctura verax, niſi ex ære noſtro: nolite igitur animas & pecunias veſtras deſtruere. Parmenides in turba ſermone. 11. ſciatis quod invidi multipliciter tractaverunt de pluribus aquis & brodijs, corporibus, lapidibus, & metallis: ſed dimittite hæc, & aurum, nummos: nummoſq; aurum fieri facite, pro hoc noſtro ære. Lucas, ſerm. 12. eo quòd una res facit quod plures operantur, pluribus rebus non indigens, niſi una re; & illa una res in uno quoq; gradu operum noſtrorum in aliam vertitur naturam. Ictis, ſer. 15. Scitote huius artis inveſtigatores, fortius & ſublimius apud philoſophos, eſt apud inſipientes omnium rerum vilius, quod nos veneramur. Bonellus in turba ſerm. 36.

Scitote huius ſcientiæ omnes inveſtigatores, quod totum opus & regimen non ſit niſi aqua.

Prop. 2.

Contra ſcilicet, hoc Elixir non ex una tantùm ſimplici re conſtare; ſed potius eſſe compoſitum.

Hæc propoſitio, primæ contraria videtur: Sed huius & aliarum aliquot ſequentum ad octavam propoſitionem referenius; interea dicta ſapientum adferemus. Bonellus ſer. 36. ſupra proximè citato dicit, vocaverunt autem invidi hanc compoſitionem, cum in nigredinem verſa eſt, ſatis nigram. Roſinus queſt. 48. Nullus enim lapis in arte generatur, niſi hic, quem philoſophi ex ſuis rebus compoſuerunt. Idem queſt. 2. Niſi duobus tenuiſſimis continens, fuerit aliquid, quod placabilia faciat, pereunt & ignem fugiunt.

Prop. 3.

Sequitur autem Elixir noſtrum ex duobus, ad minus conſtare, cùm ipſum compoſitum eſſe, prius dictum ſit.

Hæc propoſitio tertia, cum ſequentibus ad ſextam uſq; quòd contraria videatur primæ, conciliabitur in commento octavæ paulo poſt. Nunc dicta philoſophorum prodeant quæ hanc confirment. Ariſteus in turba ſer. 10. Accipite corpus quod vobis demon-

demonſtravi, & in tabulas tenues coaptate: & noſtræ aquæ imponite, quæ eſt aqua permanens poſtquam regitur. Diomedes. ſer. 29. Coniungite igitur maſculum ſervi rubei filium ſuæ odoriferæ uxori. Zonon ſer. 35. hoc apertè videtur monſtrare, dicens. Significo vobis quod ars duabus naturis indiget. non enim pretioſum abſq; vili: neq; vile abſq; prætioſo. Zenon ſerm. 26. Tunc eſt Elixir ex humido & ſicco compoſitum.

Prop. 4.

Amplius autem ex tribus Yxia conſtare videtur.

Parmenides ſer. 5. Ideo multiplex ſuperfluum dimittite, & argentum vivum accipe, & in magneſiæ corpore congelate, vel in teambar vel in ſulphure, quod non comburitur, quæ tamen tria, idem ſunt, & facite ipſam naturam albam, & æs noſtrum imponite.

Prop. 5.

Ex quatuor potius Elixir eſſe compoſitum.

Menaldus in turb. ſer. 25. Scitote quod hoc æs quod vobis iuſſi regere, eſt iſta quatuor corpora. Dardaris ſer. 43. Sulphura ſunt animæ, quæ in quatuor fuerunt occulta corporibus; quæ extincta ſe invicem continuerunt naturaliter & tinxerunt.

Prop.

Digitized by Google

Prop. 6.

Etiam ex pluribus & multis Ixir conſtare.

Zenon ſer. 26. hoc autem venenum eſt quaſi nativitas & vita; eo quod eſt anima, & multis extracta rebus & nummis impoſita. Bonellus ſer. 49. Notandum quod aqua munda quæ ex ſulphure eſt, non ex ſolo ſulphure, verum ex pluribus compoſita rebus, quæ unum ſulphur facta ſunt ex pluribus ſulphuribus.

Prop. 7.

Denique huius Ixir compoſitio ex omnibus fieri videtur.

Ariſteus in ſer. 51. Accipite argentum vivum ex æris flore, quod & æris noſtri aquam nuncupaverunt, & igneum venenum ex omnibus extractum, & paulò poſt: & ſcitote omnes huius artis inveſtigatores quod omne corpus diſſolvitur cum ſpiritu cui mixtum eſt; & quod omnes ſpiritus à corporibus alterantur.

Prop. 8.

Prædictorum diſſonantiæ ad conſonantiam reductio, eorumq; recta determinatio, per quam concluditur, noſtrum Elixir tingens ex pluribus aut plurium conſtare compoſitione.

Ad

Ad hanc propoſitionem probandam, cum conſonantia aliarum præcedentium, dicimus noſtrum Yxir non ex uno ſolum, ſed ex plurium compoſitione conſtare, quoniam ante iſtorum compoſitionem diverſa ſunt ſpecie, & diverſis vocantur nominibus: ſed poſtquam commixta ſunt per ſuum regimen ita uniuntur adinvicem, quod una fiunt ſubſtantia nova, & uno nomine nuncupata; ſicut in cæteris rebus compoſitis eſt dare exemplar. nam cum aliquod antidotum arte perficitur, ex diverſis herbis, gummis, liquoribus & pluribus alijs ſpeciebus, quæ per ſe ſingula diverſis & proprijs nominibus nuncupantur, confectione completa reſultat quædam nova ſpecies à ſuis componentibus varia, quæ uno novo nomine nuncupatur. Similiter ex aqua, & commixtione farinæ, panis componitur; ſed panis vocatur, id ipſum in domus ædificatione cernitur, quæ lapidibus, calce, lignis, lateribus & eorum conſtat: ſed uno tantum nomine dicitur. Domus. & ita de pluribus dari poteſt exemplum: ita & philoſophi in noſtro opere compoſitionem ex qua procedit noſtrum yxir, licet eam ex pluribus fecerint uno tantum ſingulari novo nomine, Magneſiam vocarunt eo quod magna eſt res, in qua maximum arcanum. Altanus. ſer. 42. Philoſophi cum res paraverint, ac coniuges ſe coadamantes coniunxerint, aſcendit cum eis aqua aurea. Philoſophus in turba ſerm. 73. Prima compoſitio ſcilicet corpus Magneſiæ, ex plu-

ribus

Digitized by Google

ribus fit rebus, quamvis unum quid factæ ſint, uno deinde nomine, quod priores Albaræris nuncupaverunt. & eorum ex ſupradictis omnibus comprobatio & ſolutio ſupradictarum ſex propoſitionum ſatis ſuperq; intelligenti patet. prout & ſeptimæ etiam propoſitionis dubia itaq; ſequitur propoſ. 9.

Prop. 9.

Quamquàm verò ex plurium compoſitione yxir conſtare monſtratum ſit: eius tamen radix & fundamentum eſt noſtrum æs. quod ſuo regimine ad naturam yxir deduci oportet: abſq; regimine namq; nihil alteratur.

Hæc propoſitio eſt principium demonſtrationis ſpecierum ex quibus fit yxir. quod autem regimen ſit neceſſarium audi Euximenum ſer. 8. Scitote quod non fit tinctura vera niſi ex ære noſtro: nolite igitur animas & pecunias veſtras deſtruere, nec triſtitiam cordibus veſtris inferatis. adijciam & fundamentum vobis, quod niſi prædictum æs in album vertatis, & inde nummos apud viſum faciatis, & deinde rubeum, in nihilo eſtis. Bonus ſer. 37. hoc autem noſtrum æs, quod de aqua ablui perenni philoſophi inſerunt. Conſtans ſerm. 28. Et ſcitote quod ſi aliud quam æs noſtrum accipiatis, & aqua regatis noſtra, nihil vobis proderit.

Digitized by Google

Prop. 10.

Huius itaq; noſtri æris regimen eſt, ut fiat venenum, vel rubigo tingens.

Mundus ideo ſerm. 47. Priſci autem opinantur, quod qui aurum, in venenum vertit, ipſe ad propoſitum iam venit, qui verò non in nihilo ſe habet. Anaxagoras ſerm. 54. Qui poteſt aurum in rubiginem vertere & venenum propoſitum iam invenit.

Prop. 11.

Rubigo ſive venenum tingens ex ære noſtro prædicto non fiet, niſi tingatur.

Hæc propoſitio certa eſt & probabilis ratione & auctoritatibus ſequentium ratione quidem: quoniam cum æs noſtrum vix aliquo regimine vulgi poſſit corrumpi, quin in ſeipſum redeat non alteratum. & cum purgatum fuerit per ignis examinationem non tingit maiorem tincturam: nam totus eius color ſic ad ſui perfectionem eſt neceſſarius, nec de ſuo colore poteſt præter ſeipſum colorare, in natura ſua permanens ſine diminutione ſui coloris; ita quod alteri mixtum de ſuo colore diminuit, unde nihil lucri eſt. itaq; ita exiſtens in ſui natura manet: niſi regatur regimine tali, quo tingatur intenſiori colore, excedente colorem eius quem habet perfectè dùm manet in ſui natura. hoc autem regimen oportet eſſe tale, per quod tingatur in pulverem, qui

qui propter multitudinem intenſioris coloris ſit ferè niger, ut color combuſti ſanguinis, vel tyrij, vel purpurei coloris. Et tunc propter exceſſum ſui coloris, minima eius pars admixta magnæ corporis albi minoris luminaris, tinget ad ſufficientiam coloris veri luminaris maioris, cum tranſmutatione & tinctura invariabili & fixa propter ſui virtutem & fixionem quam à regimine & rebus tingentibus aquiſivit. Monardus in turba ſer. 25. Eò quòd æs non colorat, niſi colorem; quia coloratum colorat. &c.

PROP. 12.

Hoc etiam corpus Yxir, ut fermentum in paſta eſt.

Hermes tractatu ſeptimo ſic ait, ſimiliter aurum in corporibus, omne corpus ſecum continet, & vivificat, quod yxir fermentum eſt, ſine quo nequaquam peragitur, quemadmodum paſta ſine fermento non fermentatur.

PROP. 13.

Tinget ergo ipſum æs noſtrum, & venenum ſeu rubiginem gignentem videlicet aqua permanens, vel argentum vivum ac Cambar, ſive argentum vivum ex maſculo, vel res ſimilibus dicta nominibus & ethel facta, quæ ſit mixta, & ſuo recta regimine.

Omnia hæc quæ dicuntur æs noſtrum tingere; licèt

licèt diverſis nominibus vocentur, ſunt idem, ſcilicet aqua noſtra, ex noſtris rebus compoſita, & ſuo regimine perfecta: cuius regimen Dei voluntate vulgo ignotum eſt: Et quod æs noſtrum tingatur, audi Parmenidem ſer. 2. Scitote quod aurum vertitur in rubiginem per aquam permanentem. Moſius ſer. 44. Argentum vivum quod tingit aurum, eſt argentum vivum de Cambar.

Prop. 14.

Iterum ex ignis actione hoc æs noſtrum tingetur.

Hermes in tractatu tertio. Et hæc tinctura remanet rubea ut Rarmes, filius autem noſter Rex ſumit ex igne tincturam.

Prop. 15.

Ex prædictis concluditur noſtri tingentis yxir ex noſtro ære, noſtraq; aqua permanente conſtare, eaq; ignis regimine ad intenſam virtutem tingendi, et alterandi cum perfectione adduci.

Certum eſt quod qui ſcit compoſitionem noſtræ aquæ permanentis & eius regimen cum noſtro ære complere, ex eis habebit intentum, aliàs in vanum operans fatigatur: Conſtans namq; ſerm. 28. Sic regatis noſtra, nihil vobis prodeſt. Si autem aqua noſtra æs noſtrum regatis, omnia à nobis prædicta invenietis.

Digitized by Google

PROP. 16.

Eſt quia dicta aqua permanens, ſine qua tinctura noſtri æris non fit, nequaquam pretio emitur, oportet primò eius compoſitionem & regimen, in quantum licet demonſtrare.

Pythagoras ſer. 28. Nonnulli habentes libros legunt & putant quod compoſitio iſta ematur, ſciendum utiq;, quod nihil operis emitur.

PROP. 17.

Ad huius itaq; aquæ permanentis confectionem, duplicem eſſe compoſitionem, quæ oportet ad ultimum tamen, ut unum fiat.

Philoſophus ſer. 12. Compoſitio duplex eſt, una enim eſt humida: alia verò eſt ſicca tantùm, proinde coquantur ut fiant unum, & dicitur bonum plurimorum nominum.

PROP. 18.

Prima autem compoſitio fiet ex ſiccis ſolùm, quæ corpus Mâgneſiæ dicitur, vel albor æris, vel plumbum æris, & ſulphur & æs magneſiæ, & pecunia noſtra & aurum noſtrum &c. ſecunda verò compoſitio ex prædictis ſiccis cum humido, quæ Magneſia dicitur, quamvis tamen unum pro alio ponitur.

Roſinus, queſtione 8. Contemplare igitur ſuper ijs, quæ in libris philoſophorum inveniuntur, Æs noſtrum

noſtrum, Pecunia noſtra; aurum vel plumbum noſtrum Magneſia noſtra, nihil aliud ſunt quàm illud æs tibi relatum, in eo namq; illud eſt, quare ſibi ipſis illud retulerunt. ſimiliter eorum plumbum, quod eſt Magneſia eorum, fit pecunia, quæ eſt corpus eorum: Æs igitur compoſitum eſt, quod tamen fit pecunia.

Prop. 19.

Prima hæc compoſitio quam diximus ſiccorum eſſe, Magneſiam corpus dici, compoſitio eſt quatuor corporum, ſive quatuor elementorum.

Monaldus ſer. 25. Scitote quod hoc æs, quod vos iuſſi regere, eſt iſta quatuor corpora. Democritus in allegoria diſt. 19. Et non fit tinctura niſi ex corporibus coniunctis.

Prop. 20.

Hæc autem quatuor corpora vocantur ſulphura terræ.

Dardaris ſerm. 44. Sulphura ſunt animæ, quæ in quatuor fuerunt occultæ corporibus.

Prop. 21.

Ex ijs autem quatuor corporibus ſeu elementis in compoſitione corporis magneſiæ, æqualem proportionem oportet apponere.

Allegoria ſapientum diſtinct. 1. Si medicinas

æqua

æqualiter ponas, non ſentis errorem: Si verò addas, vel minuas, ad emendationem tendis.

Prop. 22.

Secunda verò compoſitio, quam diximus eſſe ſiccorum cum humido, eſt argentum vivum cũ ipſo magneſiæ corpore conjunctum, ipſaq́ compoſitio, Magneſia vocatur.

Parmenides ſerm. 11. Ideo permultiplex ſuperfluum dimittite, & argentum vivum accipite, in corpore magneſię congelate. Vel in kenkel, vel in ſulphur quod non comburitur. in libro allegoriarum diſtinct. 12. argentum vivum eſt ſpiritus qui corpore Magneſiæ contineri volunt: magneſiæ verò corpus eſt corpus quod diſſolvunt, ut in eo ſpiritum componant, quod eſt ſpiritus ſimiliter & corpus.

Prop. 23.

Huius autem commixtionis inventio eſt, ut ſpiritus in corpore coaguletur: ipſumq́ corpus in ſpiritum ſolvatur, totumq́ unum fiat, quod Magneſia dicitur. Et hoc eſt facere corpora, incorporea & incorporea, corporea.

Aſtanus ſer. 42. Irritate bellum inter æs & argentum vivum, quoniam peritum tendunt, & corrumpuntur prius. eo quod æs argentum vivum concipiunt congelat ipſum: argentum verò vivum concipiens æs diſſolvit ipſum.

Prop.

Prop. 24.

Perfectio verò huius mixtionis fiet, per decoctionis, contritionis & lavationis regimen. Per huius regiminis beneficium corporis ſpiſſitudo attenuabitur, & immunditia curabitur atq; levabitur, & eius ſubtilitas ignea, in eius ventre occulta, quæ illius tinctura eſt, anima, in altero ſpiritu ſalvabitur occulta.

Oportet illud ſpiſſum veneno igneo commiſcere ac putrefacere & diligenter terere quouſque fiat ſpiritus, in altero ſpiritu occultus. Plato ſerm. 2. Spiritus namq; à corpore ſeparatus, & in altero ſpiritu occultus, factus eſt uterq; fugiens.

Prop. 25.

Et propterea vetus ſonat proverbium, ſi ſciveris dare ignem ignis & aboth tibi ſufficiunt. Quoniam argentum vivum corpora comburit, atq; ſubtiliat, & eorum groſſiſſitiem à ſubtili ſequeſtrat.

Monaldus. ſerm. 25. Scitote quod argentum vivum, eſt ignis corpora comburens, mortificans, conſtringens uno regimine.

Prop. 26.

Ipſum etiam argentum vivum in hac commixtione venenum igneum nuncupatur: quoniam iſtar ignis per corpus magneſiæ diffunditur, quemadmodum venenum per corpus hominum.

Alle-

Allegoria diſtinctione. 5. venenum igneum eſt aqua nummoſa nondum peracta.

PROP. 27.

Interitus ergo eſto ad continuationem præfati regiminis, donec corpus in prædicto ſpiritu adeo fuerit ſubtiliatum, & diſſolutum ut ſit incorporeum ſine tacta, amboq; tactu levia & impalpabilia ad inſtar butyri vel cerebri. Cumque ſic fuerit oportet per ignem in Ethel exaltari, antequam noſtro miſceatur æri.

Aſtanus ſerm. 42. Æs, quod philoſophi, cum res paraverint, ac coniuges ac ſe coadunantes coniunxerint, aſcendit ex eis aqua aurea. Mundus ſerm. 47. Niſi res igne continuaveritis, quouſq; ſpiritus aſcendunt, in nihilum evadent.

PROP. 28.

Hanc ſublimationem oportet facere levi igne, ut ſubtilitas compoſiti purificata, quæ eſt anima tingens, exaltetur ad ſummum vel ſupremum vaſis, terreſtreitate groſſa, quæ tincturam & ingreßum impedit, in Ethel funda relicta.

Monaldus ſer. 25. Scitote quod corpus non poteſt tingere ſeipſum niſi eius ſpiritus extrahatur, & in ventre eius occultetur, eo quod ſpiſſum terreum non tingit, verum tenue naturæ eſt quod in corpore transfigit & colorat.

PROP.

Digitized by Google

Prop. 29.

Hoc autem ſublimatum eſt argentum vivum de Cambar, & aqua permanens, & gumma & urina, quæ ſupra diximus æs noſtrum tingere, quod & alia plura ſortitur nomina. & in ſublimatione primi noſtri operis eſt complementum. Secundum opus autem eſt, ut æs noſtrum ſolum ab aqua hac in rubiginem tingentem vertamus, ſuo regimine.

Aſtanus ſer. 66. Rubigo eſt ſecundum opus, quod ſolo auro fit.

Prop. 30.

Eſt autem huius regiminis principium aquam prædictam permanentem in duas æquales partes dividere. Cum unâ quarum miſcebitur portio debita noſtri æris, ut in ea ſolvatur & diruatur in terram, ſecundo verò ſervabitur ad impotationem diruti.

Vnde Theophilus ſerm. 22. Divide venenum in duo æqualia, quorum altera parte æs liquefacite; alteram verò ad terendum & imbibendum ſervate, Cerus ſerm. 23. cum diviſeritis aquam in duas partes; prima erit ad corpus liquefaciendum & coquendum, ſecunda verò ad mundandum combuſtum, & ſuum ſocium, quæ unum facta ſunt. Nichorus. ſerm. 33. Oportet enim altera parte æs noſtrum comburere, & tunc reſidua aqua ſepties imbuere.

Prop. 31.

Erit proportio ipſa noſtri æris commiſcendi dicta proportione aquæ, puta ut unum ad tria.

Mundus, ſerm. 34. Accipite ex gumma animalis intenſiſſimi candoris, partem unam: & ex piſcis felle, partem unam, & ex albi vituli urina partem unam: & ex corpore gummæ, ſine qua emendari non poteſt, partem unam; has miſcete portiones. item, idem. Accipite de ſincero corpore unam, ex ære verò Magneſiæ tres partes.

Prop. 32.

Et ut plurimùm, ut duo, ad ſeptem.

Theophilus ſer. 22. Eo quod oportet vos laminas producere & cum poſteriore veneni parte coquere duo, ad ſeptem.

Prop. 33.

Pro ipſius autem æris noſtri commixtione faciliori cum aqua prædicta; oportet nos primò æs ipſum in laminas ſubtiles producere, ſicque ipſi aquæ commiſceri & coquere in ea donec ſolvantur, & unum fiant.

Ariſteus ſer. 19 accipite igitur corpus quod vobis monſtravi, & in tabulas tenues coaptate: Deinde aquæ maris noſtri imponite; quæ eſt aqua permanens

nens poſtquam regitur; deinde leni igni imponite, donec tabulæ confringantur & fiant aqua.

PROP. 34.

Hanc compoſitionem in vaſe vitreo poni oportet.

Exiſtus in turba ſerm. 37. In ſuo vitreo vaſe quadraginta diebus ipſum dimittite.

PROP. 35.

Huius verò regimine plures apparebunt colores; primò ſcil. niger: ſecundò albus, tertiò croceus; ultimo gradatim ad intentionem ruboris perveniet, uſq; a tyrij coloris perfectionem, quæ omnia per ordinem ſuis propoſitionibus ſubnectemus.

Diomedes ſerm. 29. Coquite igitur eos donec nigri fiant: deinde albi: deinde rubei: deinde tingens fiat venenum.

PROP. 36.

Verum quia niſi opus noſtrum primò dealbetur; non poſſumus rubrum facere: oportet primo regiminis gradu ad album ſive nummoſum colorem deducere.

Frictis. ſermone. 15. Scitote quod totius operis initium, eſt albedo, cui rubor ſuccedit; deinde operis perfectio.

Digitized by Google

Prop. 37.

Coquenda eſt ergo dicta compoſitio in ſuo vaſe leni igne quadraginta diebus vel quadraginta duobus ut corpus liqueſiat.

Ariſteus ſer. 19. Deinde leni imponite igni donec tabulæ confringantur, & fiant aqua. Mundus ſerm. 18. Has miſcete portiones quadraginta diebus coquite. Pandulphus ſer. 21. Hæc igitur quatuor prudenter coquite quadraginta diebus.

Prop. 38.

In ipſo autem decoctionis tempore, antequam veniat albedo prædicta, nigredo de ſuper apparebit, quæ de natura eſt Martech.

Pandulphus ſerm. 21. Deinde coquite paulatìm, extrahentes autem inſpicite ſi factus eſt niger. Bonellus ſerm. 37. Videntes nigredinem illi aquæ imminere, ſcitote corpus iam liquefactum.

Prop. 39.

Dicta namq; nigredo cum aquis ſalſis, & acutis, vel dulcibus, abſque contrione lavando purgetur, donec fiat ut nummus liquefactus.

Bonellus ſermone. 37. Abluite ipſum, & private nigredine.

Prop.

Digitized by Google

Prop. 40.

Poſt nigredinis verò remotionem, incipiet apparere albedo iam dicta, hoc interim coqui oportet, ut fiat ſicut nummoſus lapis albus, ut marmor, vel ſali ſimilis, ſuo ſplendore atque coruſcatione.

Lucas ſerm. 12. Aſſate igitur ipſum per dies ſeptem, donec fiat ut marmor coruſcans. Philiorus ſerm. 15. Quod ſi bene coquatis, & nigredine privetis, in lapidem vertetur, & fiet nummus intenſiſſimæ albedinis. Theophilus ſer. 22. Coquite quadraginta diebus donec flos candidus, & flos ſalis ſuo ſplendore, atq; coruſcatione appareat.

Prop. 41.

Qui lapis Aiar, ſive lapis boricus, ſive lapis Aticos a philoſophis nuncupatur.

Theophilus ſer. 22. Hunc igitur boricum philoſophi nuncupaverunt. Pandulphus ſerm. 21. Vobis oſtendi huius lapidis principium, quod eſt lapis Aticos. Lucas ſerm. 22. Et ſcitote quod cum coagulatur nos vocamus ipſum Aïar.

Prop. 42.

Uſq; verò in hunc terminum oportet fieri ignem levem.

Lucas ſerm. 12. Et ſic videtur lenis in dealbando, donec coaguletur.

Prop.

PROP. 43.

Obſervare oportet in decoctionibus prædictis, ut vas ſit ſemper clauſum, ne ſpiritus fugiat, ſed in eo coaguletur.

Lucas ſerm. 12. Cavete ne à vaſe exeat: humiditatem verò in vaſe coagulate. Mundus ſermone 16. Obſervate ergo vas, ne compoſitum fumiget, & fugiat.

PROP. 44.

Non tamen in prædictis decoctionibus tenetur ſeu coagulatur ex toto humiditas in commixto: ſed una, vel duæ ex tribus eius partibus ſeparatur, quæ ſervari poteſt pro opere ſecundi Cambar.

Hermes in allegoria diſt. 6. Si autem Camellorum tuorum tertiam partem conſumas, duabus tertijs relictis, iam ad propoſitum perveniſti. Balgus in turba. ſerm. 50. Notifico vobis quod in hac nummi decoctione, tertiæ partis aqua pondus conſumitur: reſiduum verò fit ventus, in ſpiritu ſecundi Cambar.

PROP. 45.

Poſtquam verò dicta compoſitio prædicto regimine coagulata fuerit, & verſa in lapidem ſiccum album. ſive nummoſum, & coruſcantem, ut marmor; oportet ignem

Digitized by Google

ignem intendere, ut diruatur, donec in terram, vel cinerem croceum, vel ſubviridem vertatur.

Pythagoras ſerm. 13. Calcem & marmor frangite. Socrates ſerm. 16. Coquite intenſiſſimo igne, donec ſpiſſitudo corporis diruatur. Batoſius ſer. 24. Coquite ipſum donec coaguletur: deinde terite donec fiat crocus colori auri ſimilis.

PROP. 46.

Hanc autem triturationem non manibus, ſed igne ſolùm forti, ut diximus, fieri oportet.

Zenon ſermone 35. Er ſcitote quod non fit, niſi fortiſſima decoctione & contritione continua, igne, non manibus.

PROP. 47.

Lapide autem præfato, ut dictum eſt in terram aliquatenus coloratam verſo: Oportet terram ipſam ſecunda parte aquæ quam ſervaſti imbuere: non tamen totam aquam ſimul apponendo, ſed inter plures vices: ſeptem tamen ad minus? Et in qualibet imbibitione coque, quouſq; in ea ſiccetur aqua, & occulti in ea colores in manifeſtum prodeant.

Corus ſerm. 25. Imbibite ipſum ſeptem vicibus, quouſq; diruatur. Gregorius ſerm. 27. Oportet vos, cum

cum videritis hunc lapidem coruſcantem, incidere ruendo, & in terram vertere, & habere aliquantulum ruborem, ut aquæ reſiduum accipiatis, quam invidi iuſſerunt vobis in duas dividere partes; & eum multotiens imbibatis, quouſq; occulto in illo corpore colores vobis appareant. Nicarus ſerm. 33. Oportet nos reſidua aqua ſepties imbuere quouſq; totam aquam imbibat, ac tota humiditate deſſicata, in terram vertatur aridam.

PROP. 48.

Faciliter autem ipſa terra aquam potabit.

Socrates ſerm. 16. Et ſcitote, quod cum ſiccum fuerit, ſui humoris reſiduum velociter bibit: eò quòd eſt plumbum combuſtum.

PROP. 49.

Tempus omnium harum impotationum eſſe Centum quinquaginta dierum: et ſecundum hunc circulum ex ſeptem impotationibus viginti unum dies in portione venire palam eſt.

Hermes in primo ex ſeptem tractatibus dicit. Scitote quod ſuccus vitis ſapientum in centum quinquaginta extrahitur: eiuſque numerus in fine triginta peragitur. Roſinus queſt. 18. Coque boricum nummoſum, ut in pulverem vertatur, ac imbibe aceto

aceto, & coque quouſque acetum deficiat per centum quinquaginta.

PROP. 50.

Per has quidem impotationum & decoctionum iterationes, opus diverſis veſtibus et coloribus adornatur. quod ſecundum intenſionem colorationis, diverſis appellatur nominibus.

Exiſtus ſermone 38. hoc autem multoties facite, quouſq; pereant aquæ partes, eiuſq; colores appareant. Mundus ſerm. 62. Tyrium noſtrum in unoquoq; regenerationis gradu ſui coloris nomen nuncupamus. Siccum videntes, iterantes coquite, & imbibite, quouſq; colorem induat prædictum, ut fiat aurum Deinde iterate ipſum, & fiet autrum totum. Deinde iterate ipſum, & fiet aurũ tyrij coloris.

PROP. 51.

Ex ijs impotationibus cinerem humectari, & dulcificari contingit.

Azaracus ſer. 57. Miſcentes cinerem aquæ, iterum coquite, quouſq; cinis ille liquefiat & eorum deinde coquite, & aqua imbibite ſepties permanente, quouſq; compoſitio dulcis fiat ac rubea; imbibite etiam quouſque humida fuerit.

PROP.

Digitized by Google

PROP. 52.

Fit etiam impotatio quandoq; dicti cineris, per aquam quæ ab eo aſcenderat in opere lapidificationis, & dirutionis prædicta.

Ariſteus ſerm. 19. Ethelia vel aqua ſua imbibite, quæ ex eo exivit. Mundus ſerm. 14. Accipite humiditatem quam eiecit illud, & cũ eo paulatìm imponite. Diomedes ſer. 29. Reddite ei ſudorem ſuum, & iterum neci date.

PROP. 53.

Ab ignis autem exceſſu in opere dictarum imbibitionum taliter cavendum eſt, ne anima fugetur à cinere; ſed in eo remaneat & figatur.

Diomedes ſerm. 29. Reddite ei ſudorem ſuum, & iterum neci date, regnumq; ei conſtituite, & cavete ne fugetis eum, comburentes nimio igne.

PROP. 54.

Finitis dictis imbibitionibus & decoctionibus centum quinquaginta dierum, oportet poſtea recoqui intensè intenſo igne quadraginta diebus ad complementum colorationis, & perfectionis eiuſdem, ut ſit pulvis ſpiritualis impalpabilis Tyrij ſeu purpurei coloris, vel combuſti ſanguinis; quod eſt intentionis perfectio.

Soboſ-

Soboſſes ſermone 24. Et non deſiſtatis coquere & deſſicare, donec toto ſuo humore imbuatur: Deinde per dies quoſdam in ſuo vaſe dimittite, quouſq; pretioſiſſimus color tyrius deſuper exeat.

PROP. 55.

Hic itaque pulvis ixir, ſive venenum philoſophorum eſt, quod nummis impoſitum tingit, & eos vertit in aurum perfectum, adiutorio Dei.

Barſen ſermone 30. Et quod in perfectionem veniens, omne corpus tingit. Mundus ſer. 47. Quod ſcilicet venenum philoſophus aſſerit omne corpus tingere.

PROP. 56.

Et non erit hæc tinctura deficiens per ignem, vel examen; ſed erit invariabilis, & firma; & ſecundum quid.

Arſuberes ſermone 14. Cùm venenum corpus penetrat, invariabili colore ipſum colorat, &c. idem, ex ſulphure ſulphuri mixto, pretioſiſſimus fit color, qui non variatur nec ab igne fugit.

PROP. 57.

Cauſâ verò huius effectus eſt; quia propter ſui virtutem & proprietatem acquiſitam, tàm à naturâ, quàm

Digitized by Google

arte, eſt potens ſuperfluum à corporibus etiam homogeneis ſeparare caloris adiutorio: Quia ſui ſubtilitate per minima illa penetrat, & diſiungit, ac deſtruit corruptibilem partem, relictâ ſolùm perfectionis ſubſtantia incorruptâ & eadem causâ, ſi ſumatur à corpore humano, omnes ſuperfluitates humorum eÿciens, ipſum in æqualitate conſtituens ab ægritudinibus protegit, & in perfecta ſanitate conſervat. hoc quidem donum Dei eſt, & ſecretum philoſophorum; quod Reges & aliÿ quærentes minima inveniunt niſi hi quibus bonitas divina largitur.

Barſen ſermone 25. Hoc autem Reges quærendo non inveniunt, niſi hi quibus Deus annuit. Roſinus queſt. 10. Nullo poſſunt ea quæ ambigua poſuerunt, a vero ſequeſtrare, niſi Deo inſpirante vel aliquo docente. Item idem quæſt. 13. Quod Deus ſuis prophetis atque electis largitus eſt.

PROP. 58.

Qui ergo prædicta intellexerit ratione, erit de filijs ſapientiæ. Deo itaque laudes multiplices exhibeat, ne tanti beneficÿ ſit ingratus. Qui verò ad eorum, intellectum non attigerit, propter divinum iudicium, aut ſuam ignorantiam, vel peccatum, hoc euenire cognoſcat: Quod non nobis; ſed ſibi imputare debet.

Dio-

Digitized by Google

Diomedes ſermone 29. Si intelligatis huius ſcientiæ inveſtigatores, beati eſtis; ſin autem, quod debeo iam perſolvi, & breviter. Et ſi ignorantes eſtis, Deus celavit à vobis veritatem. nolite igitur ſapientes reprehendere; Sed vos ipſos. Si enim Deus in vobis ſciret mentem fidelem, veritatem utique intimaret.

Divinæ itaque ſapientiæ gratias multiplices referamus qui nobis pandens ſecreta, conceſſit ea, tam validis philoſophorum dictis approbata, per huius noſtræ deſcriptionis ſeriem, prout licuit Theoſophiæ, abſq; invidia reſerare. Cuius nomen ſit laudatum in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
OCCVLTA PHILOSOPHIA,

Epiſtola cuiuſdam Patris ad Filium,

A

NICOLAO BARNAVDO
Medico à Criſtâ Arnaudi Delphinate Gallo,

Nunc primum in lucem edita in gratiam omnium philoſophorum, maximè verò Batavorum.

NIHIL SINE NVMINE.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ Thomæ Baſſon, Anno 1601.

Digitized by Google

Ex Psal. 119.

BEatus ille, qui ſtudet
Virtuti & innocentiæ,
Ita hic agens, ut lex Deûm
Patris iubet Sanctiſſima.
Beatus ille, qui optimo
Paret, ſatiſq; numini
Piè facit, placereq;
Tendit Deo pro viribus;
Et omne deſerit ſcelus
Diſſentiens ab impiis,
Et degit ad normam ipſius
Patris ſupremi ævum hic ſuum.

Digitized by Google

Nobili, Clariſsimo & Ornatiſ-ſimo Viro,

D. GERARDO KEGELINGIO, Reipublicæ & Civitatis Gaudæ Conſuli meritiſſimo,

NICOLAVS BARNAVDVS

Medicus à Criſtâ Arnaudi, Delphinas Gallus.

S. P. D.

CVM primùm, Clariſſime vir, domine omni obſervantiâ colende, fœderatas haſce Belgij provintias ante aliquot annos luſtrarem, videremq́ue quo genio ferrentur quibus tùm temporis gubernacula concredita fuerant, Tyrannidis nempe hiſpanicæ radicitus convellendæ, & ſanctæ libertatis patriæ, ſub æquis & iuſtis legibus ſtatuendæ, tuendæque, facta mihi fuit

Digitized by Google

ſpes, Deum (votis piorum perpetuò faventem) quo terrarū, mulieri illi ſplendidiſſimę, ſole amictæ, ſub cuius pedibus luna, cuiuſque caput, coronâ duodecim ſtellis ornata, redimitum eſt, quæq; gravida partum molitur, mulieri inquam illi, cuius duodecimo capite Ioannis Apocalypſeos mentio fit honorifica, quam pij omnes eccleſiam agni immaculati, ſervatoris noſtri IESV CHRISTI ſponſam credunt, ſedem aliquam, a dracone ipſam perſequente tutam, quandoque poſſet ſtatuere, cogitare.

Cùmque Belgarum plærumque omnium maximè verò Batavorum animos, mites, candidos, teretes, rotundos, & (ut ita loquar) planos videret, quaſq; eis Deus provintias tradidit incolendas, ad rem non parùm accommodas, amplis civitatibus, multiſque & populoſiſſimis paſſim ſatas, œconomia, artibus mechanicis, Nautica potiſſimùm mercatura, & veritatis agnoſcendæ ad ſalutem deſiderio præcipuè tactas; hunc ſibi delegiſſe populum mihi viſus eſt Deus; cuius votis ampliſſimos & prudentiſſimos tandem ordines,

Mag-

Magnanimoſq; Principes viros ex Naſſoviorum Illuſtriſſima & antiquiſſima proſapia electos, ſtatutoſque hac potiſſimùm de cauſa erexerit; haſce civitates omnes conſulibus & ſenatoribus cordatiſſimis queq; ſuis ad id delectis, tùm & pagos innumeros, populi feraces, qui regant & præſint, ſtatuerit.

Quantùm autem ab eo tempore creverit Reſpub. hæc tota confæderata, quantum ampliſſimi ordines, Quantùmve Illuſtriſſimi Principes Naſſovij, hic præcipuè Sereniſſimus MAVRITIVS, à quo tempore tradita ei fuere Provintiarum fæderatarum gubernacula, qui iunior multò marti præivit, quemq; Mars ipſe ſequi nunc non veretur: Quantum etiam litteræ, & omnis paſſim doctrina, florere cæperint, profeſſoribus celeberrimis, ſtipendijs ad id honorificis, undiquaq; in unum quaſi cumulum Lugduni Battavorum collectis: Quantum poſtremò (quæ principem locum obtinere meretur) Religio & pietas auctæ fuerint, & in dies magis, magiſque, vel inter bella (quis non miretur?) propagentur iudicent auriti & ocu-

Digitized by Google

lati teſtes, iĳq; qui rerum geſtarum hiſtoriam aptiſſimè norunt.

Hæc animo volventi, immenſa illa ſummi Dei providentia, quâ cuncta, (præcipuè verò ſuorum omnia & ſingula) reguntur, millies mihi ob oculos animi ſeſe obtulit, quo factum omninò fuit, ut preſſius, ſanctiusq; quàm antea crediderim, ne capillum quidem capitis noſtri caſurum abſque Patris illius ſupremi nutu. Vnde, qui tanta Dei beneficia agnoſcere mecum coguntur, ſummo illi Deo gratias mecum ut agant, quoad poſſunt maximas, ſeſeq; ei regendos tradant, & fidem Chriſtianam ſumma in Deum & proximum charitate coniunctam, humili animo, ut par eſt, profiteri ne cunctentur, ut decet, oro: quandoquidem eadem cauſa potentiſſimus, & clementiſſimus ille Deus has nobis ſedes liberas fecit. hunc rogemus ſupplices per filium ſuum unicum Dominum & ſervatorem noſtrum nequid Tyrannidis, ſuperbiæve, aut aulicæ hypocriſis hiſpanicæq; inquirendi rationis patiatur deinceps inter nos locum habere, ne fortè, qu

Deu

Digitized by Google

Deus nobis hæc otia dedit interturbentur; & quandoque meritò pereant, & alio transferantur.

Ad hæc Clarissime Domine cum mihi Dei beneficio inter tot otia agenti liquerit in hac pacatiſſima civitate & Repub. Goudana, magiſtratus prudentiſſimi bonitate, inter Goudanos cives, medicinam faciens, in eaq; quàm placidè dici poteſt agens; tuo familiari colloquio, quo nihil ſanctius, nihil doctius nihil ad rem pub: gerendam aptius, dici, audirive poteſt, aliquoties frui: adde, Naturam ipſam, quàm intus & in cute noſti, ore tuo quaſi loquentem, bellorum, & pacis anfractus perbelle depingentem; Priſcorum insuper arcana, quantum licet, narrantem, audire (quæ tua eſt bonitas) mihi non ſemel contigerit: Non immeritò, te virum clariſſimum conſulatum Goudanum (ut cætera taceam munia) inter cæteros cordatiſſimos & ampliſſimos conſulares viros toties geſsiſſe iudicare coactus ſum. Beata Reſpub. quæ patres conſcriptos tales nacta, tales & cives poſsidet. Itaque hoc habete, Patres conſcripti (vos enim

 omnes

omnes in hoc uno ornatiſsimo collega veſtro, qua par eſt obſervantiâ; cum Cicerone alloquor) his qui rempub: iuverint, auxerint, conſervaverint, ſtatutum eſſe in cælo locum, quo beati (ſi pergant) perpetuo ævo fruentur. Interea verò dum ad id parati pergitis (ſcio vos æterna perpetuè cogitare) ne officio deeſſe neve à ſenatu populoque Goudano acceptorum beneficiorum immemor eſſe videar, tibi uni virorum quibus potiſsimum cura fuit, & eſt ſalus, & incolumitas populi, offero, dico, ſacro perbrevem, at nervoſam & dilucidam epiſtolam Philoſophi cuiuſdam antiqui ad filium, de ſumma medicina agentem, qua vita in diem deſtinatum (adſit modo Deus) ſarta tecta ſervari poteſt. hoc autem totum, cùm ex vitriolo paret, viamque doceat, ſi quis alius, methodicam, perſpicuam, & verè ſpagyricam ad id deveniendi, & ſciam te virum in phyſicis & ſpagyricis inter cætera verſatiſsimum, magni ſemper feciſſe (ut ore tuo accepi) hoc minerale, cuius & Iſaacus veſter Hollandus, ſummus philoſophus, cuius & Ioannis a Rupeſciſſa,

 ſciſſa,

Digitized by Google

ſciſſa, Theophraſtus Germanus, & pluresalij, cum iſto noſtro authore, vires extollere, & ad humanorum, & metallicorum corporum ſanitatem, & veram tincturam deducere, veriti non ſunt, cogitavi tibi non ingratum futurum hoc munuſculum, quod ad valetudinem tuam & tuorum, Prudentiſsimorum Dominorum Senatorum, prætorum, paſtorum, Civium Goudanorum, & omnium, præcipuè verò Batavorum, ad te mittere, ipſumq; ut ſuſcipias candida, qua offertur fronte, etiam atque etiam oro, noſque ut facis amare pergas: benè diù & feliciter vale, Reipublicæ Goudanæ decus alterum & Ornamentum viveque Mathuſalemi annos. Goudæ è muſæolo noſtro Chemico menſe Februarij Anni 1601.

Tuus ad omnia paratiſſimus

NICOLAVS BARNAVDVS
Medicus à Criſta Arnaudi Delphinas Gallus.

 CAN-

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI Plulochimo.

MVlta, & ea quidem præclara, benevole Lector, habes, hac brevi, quam tibi offero, epiſtola, quid, ſcilicet, quale, quantum & quomodo valetudo reſtitui, tueri, foveriq; poſſit; quæ invidi eorum ſcriptis, varijs in locis, ad artem velandam ſparſerunt, quæq; Theophraſtus ille germanus, in ſuo theſauro Philoſophorum, verbis & methodo utcunq; mutatis aptiſſimè coniunxit, Aſtrorum ſcilicet cœleſtium verum balſamum, quod nullum corpus in putrefactionem abire ſinit, ut Theophraſtus ait, lepramq; nullam, podagram, hydropiſin, aut reliquos morbos, inexpulſos relinquit, adminiſtratione grani unius, & ſi fermentabitur cum ſulphure ſolis, hocq; aſtra veneris uti volueris, totum veneris corpus in ſolem vertere poteris. Hoc autem ut facilius aſſequi poſſis, addam, quod te iuvet (liber enim librum aperit & ſermo ſermonem) addam inquam

quam in omnium fœderatarum provintiarum philoſophorum gratiam ſcriptulum mihi chariſſimum, revelationem miſterij continentem ea tamen lege & omine (prout cum Gallis philoſophis iam pridem egi, quos ad Dei gloriam, Chriſti Eccleſiæ fomentum, & Chriſtianiſſimi Regis HENRICI *magni obſequium, adegi) ut ſi quem veſtrum Deus pro ſua clementiâ tanto munere dignetur, is totum opus ſuum, lapidem dico philoſophorum ad ſummam dedactam ſereniſſimo Principi* MAVRITIO *Naſſoviæ harum provintiarum gubernatori, & Ampliſſimis fœderatarum provintiarum Belgij ordinibus, qua decet prudentiâ & ſecundum Deum obſervantia, ſanctè, cauteq;, & liberè tribuat, det, donet, ſacret. Hoc quiſquis fecerit (faciet autem quod bonum virum decet, & Samaritanum ſequutus, vulneratum à latronibus, ad hoſpitium deducet &c.) inter Dei & patriæ amicos ſummos cenſebitur, Deum & populares omnes ad unum ſibi faventes experietur. Hæc erit illa Chriſtiana Eleemoſina, cui ſimilis nulla ab orbe condito erogata fuit, qua tot Miriades animarum fruetur, & in his fœderatis provintijs læta*

gauâe-

gaudebunt, Deo ſummo & auctori gratias agentes perpetuas; quam miror Theobaldum de Hoghelande Mittelburgenſem doctiſsimum philoſophum, & in chemicis verſatiſsimum virum, ſuis popularibus, in ſuo de difficultatibus Alchemiæ libro invidere; cùm poſt adeptum tantum Dei donum nemini evulgare, niſi inſidÿs undiq́ peti, & mille periculis exponi, aut in perpetuo metu & terrore verſari velit, quis (ut ait) audeat. At faceſſant ab animis piorum metus iſti præpoſteri, eroget ille, aut quiſquis ſit, hanc auguſtam Eleemoſinam, quæ non à mammona iniquitatis, ſed à clementi Dei benignitate, non aliunde proditura eſt, faxo ego, ut Sereniſsimum Principem Mauritium provintiarum fœderatarum gubernatorem, & Ampliſsimos ſimul Ordines ad unũ ſibi benevolos et amiciſſimos quiq́ ei columnam in templo pacis erigi, ad perpetuam tantæ eleemoſinæ memoriam, curaturi ſint experiatur. Sed adeſt quod pollicitus ſum.

Reve-

Revelatio nempe myſterij antiqui cuiuſdam philoſophi, quam ſi quis intellexerit, votum aſſequetur.

Solve fixum, in non fixo, ſeu matre non fixa: hoc non fit niſi coniungantur in vaſe non amplo, ne alterum fugiat ab altero, & niſi igne torqueantur: Tunc alterum operatur in alterum, & fiunt res una, ſicut erant prius, ita pugnant cum inimicis, & craſſum aſcendit in partes ſuperiores, benè cuſtodite, ne pereat: ita mica pars fixa, fit volatilis. Hæc res vocatur Solutio, & calor operatur ſtatim nigredinem. Hæc eſt impregnatio, & interna ſolutio, & clavis artis; qua, quo corporeum eſt fit ſpirituale ſublimando; ſpirituale fit corporeum deſcendendo, hoc diù coquendum, & figendum eſt in igne ſubtiliando, dealbando, rubeum faciendo; quod totum facit aqua benedicta. Sic gignitur album in ſicco: in albo, citrinum: in citrino, rubeum. Opus perficitur tribus quadragenarijs dierum, at non ſine numine, quo, omnium bonorum autore & donatore, ſi hæc tibi ſatis non faciant (ſunt autem paucis intelligenti ſatis) ut capias duos

philo-

philoſophorum nigros moneo, hos cura ut tibi pariant ova pellucida, quæ ſimul iunges & philoſophorum croco tinges, et quod quæris aſſequeris. ſi amplius quid cupis, Recipe Clavi portæ aureæ, Quinq; lapides maris. ex eis fac oleũ, cum menſtruo fœtenti, ſuperfundendo, & Diſtillando donec perducas ad oleoginoſitatem. Hoc oleum circula, cum ſpiritibus ſuis renovando, donec ſiccitatem retineat: Deinde impone in pellicanum vel circulatoriũ optimè clauſum, & in balneo ferventiſſimo, ſive fimo equino digeratur per viginti dies, poſtea in vas obtortum ponito, diſtilla per ferventiſſimum vaporẽ; quod exiet, ſuperfunde iterum in retortam: hac ratione tandem tota illa ſubſtãtia maiori ex parte redigetur in oleum Criſtallinum, quod vix tinget digitum, ob lubricitatem. Hoc oleum circula donec cœperit inſtar vini rubri eſſe, atq; tunc denuo diſtilla in vaporatoria, ſicq; exibit clariſſimus ſpiritus, relictis fecibus non multis. Hæc eſt aqua ad album quæ appellatur luna plena, & mediatrix albedinis. Nunc verò ad fæces vel mediam illam partem ſubſtantiæ in fundo remanentẽ, ſuperfunde ei oleum hoc album, & diſtilla, iterumq; impone

atq;

Digitized by Google

atq; per inclinationem tunc amove, non per diſtillationem, atq; diſtilla: Quando vero reliquerit oleum rubrum in fundo, albam aquam reperte ſuper fæces, & per inclinationem poſt aliquoties amove, diſtillando ut prius; toties facito donec clariſſima à fæcibus exierit, ſicq; reſtabit tibi rubrum oleum ad aurum, Indico, quod ad nos vehitur purius, tali autē copia, ut nuſquam defuturum ſit. Adhac, Benè vale candide Lector; viveq; noſtri memor. Gouda, Menſe Martio Anni 1601.

TVVS AD OMNIA

NICOLAVS BARNAVDVS
Medicus à Criſtâ Arnaudi Delphinas Gallus.

DE

Digitized by Google

DE OCCVLTA PHILOSOPHIA,

Epiſtola cuiuſdam Patris ad Filium.

ARcanum omnium arcanorum, ſecretum ſecretiſſimum huius tàm inclytæ ſcientiæ tibi, fili chariſſime, revelabo, prout manibus noſtris tetigimus, & oculis corporeis vidimus, & adiuro te per eum qui cuncta creavit, ut nemini hoc ſanctiſſimum, & excellentiſſimum munus tradas, ſed ut more philoſophorum illud celes, & non mireris ſi tecum palam locutus ſum, quia iam à pluribus annis errores tuos cognovi: videnſq; tuum frequentiſſimum ſtudium, tuamq; ſollicitudinem, non potui reſiſtere voluntati meæ, quin ipſum tibi traderem, quicquid verear animæ meæ poenam inferre. Sed fili chariſſime, ſi mandata noſtra ſervaveris bonum conſequeris effectum, & antequam ad practicam accedamus tibi aliqua principia naturalia detegemus, ut ipſis cognitis credas, quod inferius ſequetur.

Sunt principia huius famoſæ ſcientiæ eadem quæ & naturalia in metallis. Metallorum autem principia, ſuper quibus natura fundatur in ſuis actionibus in ipſis formandis ſunt iſtamet. Materia ergo omnium metallorum in ſuis mineris, de qua ipſa generantur & creantur, eſt aqua ſicca, quam aquam vivam, vel argentum vivum nominamus, & ſpiritus fætens, quem aliter ſulphur appellamus, non tamen in natura ſua prout ſunt in mineris creata: quia in locis ubi generantur & creantur nullum metallum invenitur, Sed potius iſta materia eſt quædam ſubſtantia naturalis, à Deo, & à natura creata habens in ſe ſubſtantiam ſulphuris & mercurij, ſive argenti vivi, & ex iſta tali ſubſtantia, vel materia duorum prædictorum procreata, generatur & creatur quædam ſubſtantia ſubtilis famoſa in viſceribus terræ, & mineralibus venis, & ibi derivatur, deinde adveniens virtus mineralis ſuper illam famoſam ſubſtantiam, congelat ipſam & unit, unione inſeparabili & firma per decoctionem mineræ temperatam, ita quod nec humidum (ſcilicet prædicti argenti vivi) à ſicco (ſcilicet a ſubſtantia prædicta ſulphuris) nec ſiccum ab humido poteſt ab invicem ſeparari de cætero, & ita omnia metalla generantur & procreantur.

Scias itaque, fili chariſſime, quod omnia antedicta in lapide noſtro glorioſo ſunt facienda, non tamen ſubſtantiam primam ſulphuris & mercurij

facere

Digitized by Google

facere intendimus; quia in lapide noſtro omnia ſunt à naturâ creata, nec nobis poſſibile foret ſulphur & mercurium novum facere; ſed ſupplemus naturæ in mundificatione, convinctione & decoctione ipſorum. Intellige ſapientiſſimi Gebri verba dicentis; lapis unus, materia una, cui nihil additur extraneum, nec minuitur, niſi quod ſuperflua removentur. Hermes pater Alchemiſtarum inquit, verum veriſſimum ſine mendacio, quod id quod eſt ſuperius, eſt ſicut quod eſt inferius, ad perpetrandum miracula rei unius, & non plurium, hic, teſte Ariſtotele ad Alexandrum, continet in ſe tres ſuperiores virtutes, ſcilicet vegetabilem, animalem, & mineralem. Arnaldus de Villa nova dicit in roſario novo, manifeſtum eſt ergo operationem medicinæ eſſe naturalem, quia ipſa medicina compoſita eſt ex naturâ: Natura quippe omnis res procedit ex eo, in quod reſolvitur Gelu convertitur in aquam claram, prius ergo fuit aqua: Sic lapis noſter in argentum vivum. Saturnus in opere ſuo loquens de mercurio, dicit Benedictus Deus qui dedit ei ſubſtantiam, & ſubſtantiæ proprietatem, quas nemini contigit revelare: Multas tibi auctoritates philoſophorum adducerem concludentes, quod lapis eſt unus, una res, à qua ſulphur & mercurius noſter elicitur: at quia in materia noſtra glorioſa natura defecit, quia operationem ſuam complere non potuit, ſicut in metallis, propter eius immunditiam, & non veram

coniunctionem, ideo nos per artificium noſtrum ſupplemus naturæ in hoc, in mundificatione & decoctione ipſius. Igitur fili chariſſime cætera prætermittentes, ad veram practicam accedamus.

Recipe in Christi nomine. Lapidem noſtrum benedictum, lapidem honoratum, lapidem glorioſum & incombuſtibilem, lapidem ab omnibus philoſophis abſconditum, & ſub parabolis deſcriptum hoc eſt, vitriolum romanum excellentiſſimum. hic eſt lapis, fili chariſſime, quem omnes philoſophi occultaverunt, & diverſa & varia dicta de eo conſcripſerunt, ne ab inſipientibus & indignis tantum arcanum perciperetur. Capias igitur ex eo quantum tibi placuerit, & ipſum groſſo modo tere, poſtea in aliqua olla vitreata ſuper carbones pone ad calcinandum ſolum, ut ſuperflua humiditas exhaletur, & tibi remanebit album, & ſubcitrinum. Caveas tamen ne materia rubificetur, quia multùm amitteres de ſpiritu noſtro glorioſo, & hæc eſt calcinatio vulgaris, quam omnes philoſophi ipſam occultando, in corporibus metallicis facere demonſtrarunt. Sed philoſophica calcinatio tibi inferius demonſtrabitur; Deinde ipſum ab igne removeas, & totum tritura minutiſſimè, donec in pulverem impalpabilem redigatur. His peractis habeas unam bociam ſtortam, lutatam diligenter, & impone ei pulveres tuos; ita quod non excedant pondus unius libræ, & ſuper furnellum ad hoc coaptatum loca,

ignemq;

Digitized by Google

igne mq; ſubtus paulatim accende, & in nomine domini incipe diſtillare cum receptorio juncturis benè clauſis, ne ullo modo reſpirare poſſit, & ita continua ignem, & quandoque vigora, donec fumi albi incipient diſtillare & exire in receptorio. Tunc ignis augendus eſt, quia in ipſa materia, eſt quædam pars ignea, quæ elementum ignis dicitur, & exire non poteſt ſine magno igne. Cum verò fumi albi conſederint, fac iterum fortiſſimum ignem per unam horam, & hoc ſolùm fit, quod ſi aliqua pars ignea, quæ eſt ponderoſa diſtillare non potuerit, per fortiorem ignem exire cogatur. Hoc autem facto, aquam illam pretioſam extrahe, & in alio vaſe mundo benè clauſo, ne ullo modo reſpirare poſſit, reſerva. Habes itaq; fili chariſſime, ſecretum altiſſimum: quia hæc aqua omnibus nominibus mundi nominatur, & à ſapientibus appellatur. Nam in ipſa tria ſunt elementa, aqua, aër, & ignis. Hic eſt verus mercurius philoſophorum, menſtruum cœlicum Raymundi, acetum accerrimum, lac virginis, menſtruum, minerale, vegetabile & animale, aqua propria, aqua permanens, aqua ſerenans, aqua vitæ, ſtella orientalis, fons vivus, ſulphur inviſibile, & multa alia nomina ei impoſuerunt, tamen apud ſapientes unum & idem eſt. O liquor, & aqua benedicta, quę tantam in te contines virtutem, cui totus mundi theſaurus æquari non poteſt, tu unum corpus candidas, & rubeum facis, & ipſum

 inter-

interficis, & vivificas, tu ad perfectam albedinem & rubedinem illud deducis; ſed ad reliqua.

Accipe fęces ſupradictæ aquæ, quæ rubicundiſſimæ eſſe debent, & eas iterum tere, Deinde in bona quantitate aquæ communis pone ad diſſolvendum ſuper ignem, & cum diſſolutæ fuerint per filtrum diſtilla quod diſtillare poterit: poſtea fac humiditatem aquæ exhalare, donec in fundo remaneat calx alba ſicca. Hæc noſtra terra, fili mi, nutrimentum totius lapidis appellatur, & mater omnium elementorum. Ecce factæ ſunt duæ calcinationes prima vulgaris ſecunda philoſophica. Ad ſolutionem igitur & ad verum matrimonium veniendum eſt. Capias terram ſiccam ſupradictam, & eam minutè & mundè tere, donec fiat pulvis impalpabilis, videlicet ex ea pondus unum, cum quatuor ponderibus aquæ prædictæ, & pone omnia in urinali benè clauſo, in balneo per octo dies ad diſſolvendum, quia in tot diebus materia diſſolvetur, & ſpiritus cum corpore congelabitur; Et ſcias fili chariſſime, quod facta tali convinctione ſpiritus, verum matrimonium nuncupatur, quia tunc agit maſculus in fæminam, videlicet aquā in terram ſolvendo, & ſpiritum cum ipſa coagulando: Et nunquam corpus ſolvitur, niſi cum coagulatione ſpiritus, & ſpiritus nunquam coagulatur, niſi cum ſolutione corporis; hic quidem ſpiritus, fili chariſſime, eſt de conſideratione Alchemiſtarum, ut in quinta eſſentia rai-

Digitized by Google

tia Raimundi in pluribus locis invenies; quia cum terra ſua iterum plantatur & fixatur. Vides ergo quomodo aſcendit è terra in cælum, & poſtea è cælo in terram deſcendit, ut iterum aſcendat, & accipiat vim ſuperiorum & inferiorum, Primò diſtillando, ſecundo coagulando, tertio verò ſublimando. Et ſcias quod unum fugiens, alterum ignem patiens, utrumq; coniunctim ignem patitur; Completis autem ſupradictis octo diebus depone cooperculum urinalis, & pone alembicum tamen non removeas urinale de balneo, ſed diſtillare ſinas, donec amplius diſtillare non poterit; aquam verò diſtillatam proijce, quia ſpiritus cum corpore remanſit. Et hoc eſt quod omnes philoſophi dixerunt, id quod exivit ab eo, reduc ſuper eum, donec figatur cum eo, & non ſeparetur in ęternum, quia natura natura lætatur. Hæc autem operatio, ut ait Raimundus conceptio appellatur, quia terra incæpit aliquantulum de argento vivo, id eſt de ſpiritu noſtro ſecum retinere. Poſtea terram prædictam per balneum deſſicatum extrahe, ſciaſq; pondus eius, & in mortario vitreo aliquantulum tritura, deinde in urinali ſuo colloca, ſuperponendo de aqua noſtra glorioſa, ad quantitatem ipſius terræ, urinale verò prædictum in balneo repone per diem ac noctem, quoniam ibi materia digeritur; tranſacto autem tempore prædicto, transfer vas è balneo, ad cineres, addendo ſupra alembicum, & diſtilla quidquid

 diſtil-

diſtillare poterit. Caveas in deſſicatione terræ, ne ignis ſit violentus, quia totum opus deſtrueretur & vitrificaretur. Hanc igitur fili mi, operationem, imbibitionem ſcilicet, inhumationem ac diſtillationem continua, donec terra biberit quadrageſimam vel quinquageſimam partem ſui, & hoc certius tibi erit, ſi modicum ex ipſa ſuper laminam ignitam ponas, & totum in fumum evolaverit, tunc eſt factum: Sin autem prædictum ſignum non evenerit, iterum continua prædictas operationes, donec tuum conſequaris effectum; Et nota quod in ſecunda & tertia imbibitione, deveniet nigra, & in colore ſaturni. Si autem hoc non eveniet, fruſtra eſſet operatio noſtra, in lapide noſtro. Quia ſpiritus ille in terra noſtra plantatur, & ſubito corrumpitur, & per decoctionem caloris creſcit & multiplicatur. Hæc autem putrefactio, fili mi, eſt neceſſaria; quia corruptio unius eſt generatio alterius. O Natura benedicta, & benedicta tua operatio, quia de imperfecto, perfectum facis, cum vera putrefactione, quæ eſt nigra & obſcura; poſtea germinare facis diverſas & novas res cum viriditate. Hoc etiam in Evangelio demonſtratur; Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert; & ſic ſucceſſivè multi & varij colores apparebunt, antequam terra biberit ſuum debitum pondus: Cum verò habuerit ſuum pondus deveniet ad

quan-

Digitized by Google

quandam albędinem, ſeu citrinitatem: Hæc igitur operatio imprægnatio nuncupatur; quia terra noſtra benedicta gravida facta eſt, & tempus eſt ſui partus, naſceturq; filius, qui non aſſimilabitur ſuis parentibus. Et ut completum magiſterium habeamus, ad reliqua pergamus. Accipe terram prædictam prægnantem, & eam in vaſe vitreo ſitua, ſuperrorando aliquantulum de aqua noſtra, ipſamque in bociam habentem collum longum in cineribus colloca, & ſubtus ignem accende donec tota humiditas exhalet, cum verò terra deſiccata fuerit, auge ignem ad tertium gradum uſque, quia ſublimare incipiet, & in culmine vaſis aſcendere ſulphur noſtrum glorioſum & incorruptibile: dum autem totum aſcenderit, exaltatum erit in terra foliata, vel in ſale mirabili, quod per Raimundum & alios Philoſophos, ſulphur natura appellatur. Hunc igitur, fili mi, theſaurum capias, quia nihil ipſo dignius aut præſtantius in mundo, hæc enim eſt gemma ſapientum, venenum mortiferum, arſenicum ſublimatum; hic eſt buſo, congelans mercurium, hic eſt draco omnia vorans, & ad ſui naturam convertens, hic eſt, quem omnes Philoſophi in turba clamant; honorate regem noſtrum ex igne venientem, diademate coronatum, cuius pater eſt Sol, mater verò Luna, nutriatur lacte ſuo, uſque quo ad ætatem perfectam veniat. Hic eſt filius nobis natus, paſcatur lacte ſuo, donec fixetur, & fluat ut cera, hoc

autem

Digitized by Google

autem magiſterium, quod à Philoſophis fermentum appellatur taliter facias. Accipe in Dei nomine aquam noſtram miraculoſam ipſamq; in balneo ad diſtillandum pone, & continua diſtillationem donec amplius diſtillare noluerit, Poſtea vas illud ex balneo removeas, & in fundo ipſius invenies quandam rem rubicundiſſimam & glorioſam. Hoc facto accipe materiam prædictam rubicundam, & in alio vaſe mundo in cineribus colloca, & reconde ſuperaddendo alembicum, deinde fortiſſimum ignem facias, quia alio modo diſtillare non poteſt, & cum materia tota diſtillata fuerit, iterum per ſeptem vices rectificabis, & nota quod in ſeptima diſtillatione, ſi per annum ſtaret in igne nunquam diſtillaretur, ſed ſemper maneret in forma olei, hoc, fili mi, eſt verum fermentum philoſophorum & non aliud. Et multi ignorantes credunt ſulphur noſtrum cum corporibus fermentare, quod fatuum eſt & remotum à principijs naturalibus, Sed lapis noſter benedictus ſeipſum calcinat, ſeipſum ſolvit; ſeipſum interficit, ſeipſum vivificat, ſeipſum deſponſat; ſeipſum nutrit, ſeipſum cibat, ſeipſum fermentat, non autem cum re quæ non ſit nata ex eo. Si autem ad finem optatum perducere volueris, accipe ſulphur noſtrum in cælo exaltatum, facque habeas pondus eius, & pone in urinali mundo, ſuperponendo quartam partem ſui de oleo noſtro ſupradicto, ſimulque omnia miſce, donec facta fuerit ſubſtantia

una.

Digitized by Google

una. Poſtea ipſum urinale in igne debiti, vel aliter in ſtuffa ſicça repone, quia ibi materia digeretur, & tali calore fixabitur. Cum autem materiam tuam ſiccam videbis, ne ſis lentus ad cibandum eam, ſemper ſibi dando pondus ſuum prędictum de lacte ſuo, donec totum fixetur, & ſine fumigatione fluat, ut cerą, Cum hoc aſſecutus fueris, habes quod optaſti. Hunc verò modum in proiectione ſerva, videlicet, accipe pondus unum iſtius medicinæ & ſupra pondera decem ſolis fuſi proijce, totum in medicinam fundentem & penetrantem convertetur, metalla, & morbos omnes curantem. habes fili mi, arcanum pretioſſimum, quod tibi iamdiu oſtendere promiſi, nemini ipſum tradas. Sed probus eſto, Deum omnipotentem lauda, & pauperes ſint tibi curæ.

SEQVVN-

Digitized by Google

SEQVVNTVR PAVCVla dicta ſapientum, quæ ad rem quàm maximè faciunt, quę ut vacuum repleatur adieci.

Geber in ſumma ſua ait.

ARs noſtra in Dei potentia reſervatur, qui cui vult largitur, & ſubtrahit, qui eſt glorioſus, & ſublimis, & omni bonitate repletus.

Senior in conſilio conjugij.

Hanc etenim ſcientiam inquirentibus neceſſarium eſt habere mentes purificatas Dei, cum ſit donum Dei.

Roſinus.

Potius namq; Philoſophi mori voluerunt quàm artem pateſacere.

Triviſanus.

Oportet philoſophorum dicta intelligere, ad natura poſſibi-

Digitized by Google

poſſibilitatem, non ad ſonum verborum nam hanc artem ſub ſimilitudinibus, fabulis ænigmatibus, & verbis obſcuris tractaverunt & data opera occultarunt, ne indoctis, impijs indignis pateſieret.

Geber.

Ubi magis apertè & planè locuti ſumus, ibi ſcientiam magis occultavimus.

Senior.

Nihil occultarunt philoſophi præter præparationem quæ eſt difficilior rerum: & ſine ipſa non perficitur nec ſciri poteſt niſi à Deo, aut à magiſtro, qui eam doceat.

Bonus Fervarienſis.

Quicquid eſt in medio motus ad aliquam formam ſuſcipiendam, poteſt duci ad terminum motus niſi impediatur. Sed metalla imperfecta ſunt hujuſmodi aurum autem in termino motus. Ergo.

Raimundus in Vade-mecum.

Quicquid virtus elementalium cœleſtis facit in vaſis naturalibus, hoc ipſum facit in vaſis artificialibus modò ſint formata ad modum vaſorum naturalium.

Lilium.

Opus non cauſatur a motu ſuperiorum, quoniam omin tem-

ui tempore fieri poteſt, modò ponatur res in vaſe carente ſectione.

Rucardus Anglus.

Ars imitatur naturam, non quod novam ædificet: Sed quod illius naturæ virtutem ſubtiliet; ad hoc incipit ars perficere, ubi natura deficit: ſubtilem materiam in re confuſa, vel corrupta detegere & maniferare.

Arnoldus Vilanovanus.

Unde oportet quod illud quod bonum eſt in corpore imperfecto unà cum corpore perfecto perficiatur, quia cum argenteitas viva corporis perfecti ſit fixa; figit argenteitatem vivam non fixam ipſius corporis imperfecti, quæ argenteitatem vivam fixam a corporibus perfectis abſtrahit, & facit hanc penetrare glorificare & omninò perficere.

Idem.

Materia prima metallorum eſt quædam ſubſtantia fumoſa continens in ſe humiditatem unctuoſam, à qua ſubſtantia artifex ſeparat humiditatem philoſophicalem, quæ oponi apta eſt, quæ eſt clara uti lachrima, in qua habitat quinta eſſentia metallica, & illa eſt metallum placabile & in illa eſt medium conjungendi tincturas, quia habet naturam ſulphuris & argenti vivi.

Arnol-

Digitized by Google

Arnoldus.

Sol & Luna in virtute & potentia ſunt in noſtro lapide, ſi hoc non eßet nuſquam fieret inde Sol neq́ Luna.

idem.

Omne creſcens vel naſcens, multiplicatur in ſuâ ſpecie; metalla non generantur niſi ex ſpermate proprio argentum autem vivum eſt ſperma metallorum & origo eorum.

Pandulphus.

Natura naturâ lætatur, natura naturam continet, & natura naturam vincit.

Diomedes.

Venerabili utimur natura, quoniam natura non emendatur, niſi ſua naturâ; nam ipſa ſeipſam germinare facit.

Paracelſus.

Solum ex metallis, in metallis, per metalla, & cum metallis, perfecta metalla fiunt: nam in alys rebus eſt Luna, & in alys metallis Sol.

Raimundus.

Lapis non fit de uno; ſed ex duobus ſimul.

Con-

Digitized by Google

Conſtans.

Nil aliud curate, niſi ut argentum vivum fixum in ære & volatile fugiens in mercurio habeatis.

Eximidius in turba.

Iubeo autem vos, argentum vivum argento vivo miſcete quouſq; una eademq; aqua fiat munda ex duobus corporibus.

Senior.

Aqua non conglutinatur niſi cum ſimili ſulphuris ſui, nec invenitur in re aliquid ſimile ſulphuris ſui, niſi in hoc quod ex eo eſt, ſol ſole.

Raimundus.

In aqua eſt totum noſtrum ſcire, & ſecretum & finis deſiderat.

Hermes.

Lapis ille eſt ſecretum totum & vita uniuſcuiuſq; rei & omnis homo indiget eo, & hæc eſt aqua quæ eſt in tritico frumentum, & in oliva oleum, & in perſicis gummi, & in omnibus arboribus fruct & principium generationis hominis: & ex ea eſt vivum quod non moritur, quandiu mundus eſt, quia eſt caput mundi. ideſt, humor.

F I N I S.

COLLEGIO DI S. CARLO

Digitized by Google

Digitized by Google

4.to rarissimo

Digitized by Google